

induitur; ita omnes tres personæ divinæ cooperabantur ad incarnationem Verbi, et tamen una sola persona, nempe secunda, de facto fuit incarnata.

## § II.

## DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI A FILIO.

19. *Spiritus sanctus pariter procedit a Patre et Filio.* — Quæritur I. Quid sit sentiendum de processione Spiritus sancti a Filio, et quomodo ipsa contra Græcos probetur? Resp. Spiritus sanctus æternaliter, et pariter procedit a Patre et Filio; non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unica spiratione. Ita omnes catholici; estque expresse definitum contra errorem Græcorum in cap. un. h. t. in 6. quod desumptum fuit ex concilio Lugdunensi, sub Gregorio X, anno Domini 1274 celebrato: ubi hæc catholica veritas corroboratur, tum ex perpetuo sensu atque doctrina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est mater omnium fidelium et magistra; tum ex incommutabili, veraque sententia orthodoxorum Patrum, atque doctorum, Latinorum pariter, et Græcorum.

20. *Referuntur antiquiora concilia, processionem Spiritus sancti a Patre et Filio confirmantia.* — Eadem veritas catholica jam antehac in concilio Toletano I., anno 405 celebrato, sub Innocentio Papa I, decisa fuerat, ubi dictum concilium in Symbolo (ac refertur tomo I. *Conciliarum*) sic profitetur: «Credimus Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre, Filioque procedens.» Item concilium Ephesinum I, quod habitum est contra Nestorium circa annum 431. (ac refertur can. *de Spiritu. de Consecrat.* dist. 5.) in epistola Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, Symbolum continente, sic loquitur: «Nam Spiritus appellatus est veritatis, et Veritas Christus est: unde et ab isto similiter, sicut ex Deo Patre procedit.» Insuper in Barensi concilio, Spiritum sanctum etiam a Filio procedere, sanctus Anselmus contra Græcorum errorem innumeris Scripturarum, et sanctorum Patrum testimoniis propugnavit, ut refertur in Breviario Romano, die 21 aprilis. Idem præter alia etiam in concilio

generali Lateranensi, sub Innocentio III, anno 1215 celebrato, fuit definitum (ac refertur cap. *Firmiter.* § 1. h. t.) illis verbis: «Et Spiritus sanctus pariter ab utroque procedens.» Ac rursus c. *Damnamus* § *Nos autem.* eod. ibi: «Et sic eadem res est Pater et Filius, nec non et Spiritus sanctus ab utroque procedens.»

21. *Eadem catholica veritas probatur ex sacra Scriptura.* Et n. 29. — Insuper hæc catholica veritas probatur ex sacra Scriptura. Nam Christus Dominus, loquens de Spiritu sancto, *Joan.* xvi. 14, 15, inquit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Atqui nihil aliud potest Spiritus sanctus accipere a Filio, nisi scientiam, quæ realiter est ipsissima essentia divina (quidquid enim aliud dicatur, sequetur, Spiritum sanctum esse creaturam, quod nefas est cogitare). Si autem accipit divinam essentiam a Filio, eo ipso procedit a Filio. Deinde *Joan.* xv. 26. Christus inquit: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis.* Atqui missio in divinis importat Processionem unius personæ ab alia; prout sanctus Augustinus lib. IV, *de Trinitat.*, cap. xix, et seqq. uberius ostendit, docens, quod Filium mitti, sit Filium nasci: et Spiritum sanctum mitti, sit Spiritum sanctum procedere. Rursus *Rom.* viii. 9. Spiritus sanctus appellatur *Spiritus Christi.* Et ad *Galat.* iv. 6, inquit Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filii sui.* Sed Spiritus dicitur a spiratione, et sic est nomen importans originem: ergo sicut sequitur, «Filius Patris,» hoc est, Filius qui est a Patre; ita etiam sequitur, «Spiritus Filii,» hoc est, Spiritus, qui est a Filio, prout argumentatur divus Bonaventura lib. I. *Sent.* dist. II, in *Exposit.* textus. dub. 3. Concordat illud *Joannis*, cap. xv. 26, ibi: *Paracletus, Spiritus veritatis.* Veritas siquidem est Christus, juxta illud ipsius: *Ego sum via, veritas, et vita.* *Joan.* cap. xiv. 6.

22. *Atque est testimoniis sanctorum Patrum, præsertim Græcorum.* — Confirmatur catholica veritas auctoritatibus sanctorum Patrum, non solum Latinorum, ut sanctorum Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, aliorumque, qui processionem Spiritus sancti a Patre, Filioque, semper concorditer docuerunt; sed etiam Græcorum. Nam sanctus Athanasius in Symbolo, *Quicumque*, ab ipso composito, et

postmodum auctoritate Ecclesiæ solemniter recepto, inter alia etiam hoc credendum proponit: «Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.» Deinde Dydimus lib. II, *de Spiritu sancto*, ac refertur can. ult. *de Consecrat.*, dist. 5. Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio, pluribus probat, atque inter alia sic loquitur: «Salvator, qui est veritas ait: *Non enim loquetur a semetipso*: hoc est, non sine me, et sine meo, et Patris arbitrio: quia inseparabilis a mea, et Patris est voluntate. Quia non ex se est, sed ex Patre, et me hoc enim ipsum, quod subsistit, et loquitur, a Patre, et me illi est.» Item S. Joannes Chrysostomus tom. V. *Homil.* I, *de Exposit. Symboli*, inquit: «Iste est Spiritus de Patre, et Filio procedens, qui dividit propria dona singulis, prout vult.» Idem in alia Homilia: «Credendum, inquit, est Spiritum sanctum Patris esse, et Filii: istum Spiritum sanctum dicimus Patri et Filio coæqualem, et procedentem de Patre et Filio. Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant bonos mores.»

23. *Atque ex testimoniis sanctorum Patrum, præsertim Græcorum.* — Præterea in generali concilio Florentino, pro unione Græcorum, anno 1439 celebrato, plures aliæ sanctorum Patrum Græcorum auctoritates a Latinis fuerunt allegatæ: ut illa sanctus Epiphanius in sermone *Angiroti* nuncupato, ubi loquens de Deo Patre, inquit: «Ita, Filium dico eum, qui ex ipso est; sanctum autem Spiritum, qui ex utroque est.» Et iterum in cit. serm. ait divus Epiphanius: «Spiritus sanctus, qui vere glorificat, docens omnia: qui quidem est a Patre et Filio.» In eadem sessione sanctus Basilius Magnus in III *Contra Eunomium* libro, scriptum reliquisse allegatur Spiritum sanctum ex Filio esse. Et subditur quod istam sententiam hi sancti doctores habuerunt ex illo Evangelico dicto *Joannis*, xvi. 15: *De meo accipiet.* Verba sancti Basilius loc. cit. (ac referantur, sess. 19, dicti concilii) sunt hæc: «Cur enim necesse est, si dignitate ac ordine tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse? dignitate namque ipsum secundum a Filio, cum ab ipso esse habeat, et ab ipso accipiat, et annuntiet nobis, et omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit.»

24. *Atque ex testimoniis sanctorum Patrum, præsertim Græcorum.* — Insuper sess. 24, quæ est ultima, præter novam auctoritatem D. Basilius Magni, aliæ plures adducuntur

sanctorum Patrum Græcorum sententiæ, quibus clare docuerunt Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere; ut est illa sancti Epiphanius Magni: «Siquidem creditur Christus ex Deo, ut Deus de Deo, sic etiam sanctus Spiritus ex ambobus esse credendus est. Quemadmodum enim nemo novit Patrem, nisi Filius, ita dicere audeo: Nemo novit Filium nisi Spiritus, qui ex ambobus procedit.» Item Magnus Cyrillus ait: «Spiritus ex Filio ita profluit, quemadmodum etiam ex Patre.» Didymus vero sapientissimus, et Magnus Athanasius, ita dicunt: «Siquidem Spiritus ex Patre procedit, et de meo accipiet, et annuntiabit vobis, sequitur, ut ex Patre, Filioque sit.» Hæc ibi. Tacentur plurimæ aliæ auctoritates, quas Bessarion archiepiscopus Nicænus, in oratione pro unione (quæ ob excellentiam suam *Dogmatica* inscribitur) in synodo Florentina, ad Græcos dumtaxat habita, cap. v, vi, et vii, ad longum allegat, ut refertur tom. II. *Conciliarum*, circa finem sæpe dicti concilii Florentini.

25. *Item ratione theologica.* — Probatur eadem catholica veritas ratione theologica. In Patre et Filio datur una eademque virtus spirativa respectu Spiritus sancti; ergo etiam æqualiter Spiritus sanctus spiratur, seu procedit ab utroque, veluti unico principio. Consequentia patet: quia impossibile est, quod existente una eademque virtute spirativa in utroque (et quidem cum ordine prioritatis ad actum) Spiritus sanctus spiretur a Patre, et non simul spiretur a Filio: idque tum ob identitatem virtutis spirativæ in utroque; qua ratione etiam impossibile est mundum creari a Patre, et non etiam creari a Filio, et Spiritu sancto: cum omnes tres personæ habeant eandem essentiam et potentiam; tum quia in divinis potentia non est superabilis ab actu; idque ratione infinitæ perfectionis, et immutabilitatis Dei: unde etiam voluntas creandi mundum in tempore, ab æterno jam fuit in Deo.

26. *Item ratione theologica.* — Antecedens autem principale probatur. Pater ab æterno generando Filium, per generationem omnia communicat Filio, sola paternitate excepta, utpote in qua sola relative opponitur Filio; ergo etiam communicat Filio virtutem spirandi, sive (ut loquuntur theologi) voluntatem fœcundam, cum in hac non opponatur relative Filio. Antecedens patet ex illo *Joan.* xvi. 15, supra jam allegato: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*: ac proinde



Pater nihil non communicavit Filio, præter paternitatem, in qua sola relative opponuntur. Siquidem in divinis omnia sunt realiter idem, ubi non obstat relationis oppositio, simulque dici non potest, quod Pater dederit Filio partem substantiæ suæ, et partem sibi relinuerit, c. *Dannamus*. § *Nos autem de summa Trinitate*. Tacentur aliæ rationes, de quibus theologi.

27. *Solvitur instantia ex Joan., cap. xv, 26, ibid* : Quia Patre procedit. — Neque dictis obstat illud Salvatoris Joan. xv, 26, inquit : *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Resp. enim cum Magistro Sent., I, dist. II, et aliis, quod, dum Veritas hic dicit Spiritum sanctum a Patre procedere, non addat, *solo*; atque ideo etiam a se procedere non neget : sed ideo Patrem solummodo nominat, quia ad eum solet referre etiam id, quod ipsius est, cum hoc ipsum a Patre habeat. Concordat divus Augustinus lib. III. *contra Maximinum*, cap. XIV, tom. VI, ubi inquit hic nominari solum Patrem, non ad excludendum Filium, sed quia Pater solus est primarius auctor processionis Spiritus sancti, utpote habens esse, atque virtutem spirandi ex seipso, et non ab alio : Filius enim habet a Patre et esse, et quod spiret. Quinimo in hoc ipso, quod dicebatur Spiritus sanctus a Patre procedere, etiam implicite continebatur, quod procedat a Filio : cum sit una eademque virtus spirativa utriusque, sive voluntas fecunda cum prioritatem ad actum, ut proxime dictum.

28. *Ostenditur, quod hisce verbis, non excludatur Filius*. — Porro, quod illa locutione, *qui a Patre procedit*, non excludatur Filius, quamvis expresse non nominetur, patet a similibus aliis sacrae Scripturae locis. Sic enim *Matth.* cap. XIV, 26, dicitur : *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*. Item *Joan.* cap. XV, 26, de Spiritu Paracleto dicitur : *Ille vos docebit omnia*. Et tamen etiam Pater et Filius non docent; sicut et illa revelatio communiter facta est ab omnibus tres personis divinis. Quin imo *Matth.* cap. XI, 27, sub dictione exceptiva, *Nisi*, habetur : *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* : et tamen hisce verbis a cognitione Filii non excluditur ipsemet Filius, aut Spiritus sanctus; neque a cognitione Patris ipsemet Pater, et sanctus Spiritus, cum sint ejusdem naturæ, substantiæ,

et cognitionis, seu scientiæ infinitæ. Deinde, quamvis in allegato textu *Joan.* XV, 26, Filius expresse non nominetur, satis tamen ibidem indicatur, Spiritum sanctum etiam a Filio procedere, illis verbis Christi : *Quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis*; eo quod Spiritum sanctum mitti a Filio, idem sit ac procedere ab ipso, prout cum divo Augustino supra num. 21, jam dictum est.

29. *Processio Spiritus sancti a Filio implicite habetur in sacra Scriptura, licet non explicite*. — Et per hoc etiam patet responsio ad dictum illud sancti Dionysii, cap. I. *De Divinis Nominibus*, circa init. ubi ait : « Omnino igitur non audendum est quicquam de summa abstrusaque divinitate aut dicere, aut cogitare præter ea, quæ nobis divinitus Scripta divina enuntiaverunt. » Siquidem, ut observat divus Thomas, part. I, quæst. 36, art. II. ad I. istud procedit, ubi aliquid in sacra Scriptura non reperitur expressum, vel per verba, vel per sensum. Licet autem verbis expressis non habeatur in sacra Scriptura, quod Spiritus sanctus etiam procedat a Filio, invenitur tamen istud in ea implicite, et quantum ad sensum; idque tum in cit. cap. XV, 26. *Joannis*, ut dictum num. 28, tum præcipue in illo Salvatoris, *Joan.* XVI, 13. ibi : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Item ibidem : *Omnia quæcumque Pater habet, mea sunt*; prout supra n. 21, et n. 26. uberius fuit declaratum.

30. *Quid dicendum de auctoritate sancti Joannis Damasceni?* — Dices. Sanctus Joannes Damascenus lib. I. *de Fide orthodoxa*, cap. II. inquit : « Spiritum sanctum ex Patre dicimus, et Spiritum Patris nominamus, ex Filio autem Spiritum sanctum non dicimus; Spiritum vero Filii nominamus : » ergo Spiritus sanctus a Filio non procedit. Resp. cum divo Bonaventura in I. dist. 41. art. 1. quæst. I. circa finem, et aliis Damasceno non esse in hac parte assentiendum, quia simpliciter fuit Græcus : eidem interim in contrarium opponuntur alii doctores Græci, supra jam allegati. Notandum quoque, quod idem sanctus Damascenus in libro *Historiæ de Barlaam et Josaphat*, referat, quod Barlaam, instruendo discipulum suum Josaphat, jusserit eum credere in Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedentem. Et quamvis Bellarminus in libro *de Scriptoribus ecclesiasticis*, ad annum 731, dicat particulam illam, *Et Filio*, videri ab aliquo additam : rursus tamen est notandum, quod divus Damascenus in cit. lib. I. *de Fide*

*orthodoxa*, cap. II. admodum caute loquatur : non enim dicit, quod Spiritus sanctus non sit a Filio : sed ait, « non dicimus a Filio » : quia Græci hoc non confitebantur, nec tamen protunc negabant.

31. *Cur Græci Patres dixerint Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium?* — Accedit, quod idem sanctus Damascenus, loc. cit. asserat, « Spiritum per Filium dicimus, ex Filio non dicimus. » Quomodo etiam divus Hilarius, lib. XII. *de Trinitate*, circa finem, et nonnulli alii doctores loquuntur, dicentes Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium, nam quod ad rem atinet, hoc idem est dicere, ac Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere : quia enim Filius vim spirativam, seu voluntatem fecundam, habet a Patre eamque Pater communicavit Filio, hac ratione recte etiam Spiritus sanctus dicitur procedere a Patre per Filium, et Pater ipsum spirare per Filium, ut notavit sanctus Thomas cit. q. 36, art. 2. Noluerunt tamen illi Patres dicere, Spiritum sanctum procedere ex Filio, quia censuerunt tutius dici *per Filium*, quam *ex Filio*, quantum ad modum loquendi, propter vigentem tunc hæresim Macedonii, et Eunomii, qui dixerunt Spiritum sanctum a Filio procedere tanquam ex primaria, imo et unica causa. Hæc autem ratio postea cessavit : quinimo pertinax error Græcorum negantium processionem Spiritus sancti a Filio, coegit Ecclesiam ad eandem processionem a Filio expresse profitendam. Bellarminus lib. II. *de Christo*, cap. 27, post Besarionem, et Gennadium.

32. *Solvuntur aliæ instantiæ Græcorum*. — Instabis cum Græcis. Si Spiritus sanctus a Patre Filioque procedit; ergo, cum Pater et Filius realiter distinguantur, forent duo principia spirandi, duæque spirationes : quod est absurdum dicere. Accedit, quod Spiritus sanctus perfecte procedat a Patre; et consequenter superflue procederet etiam a Filio. Resp. neg. seq. Quia, ut dicit sanctus Augustinus lib. V. *de Trinitate*, cap. XIV. « Pater et Filius non sunt duo principia, sed unum principium Spiritus sancti. » Quod ipsum postea solemniter definitum fuit in concilio Lugdunensi, sub Gregorio Papa X ac referatur cap. un. h. t. in 6. ibi : « Spiritus sanctus æternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principis, sed tanquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. »

33. *Ratio fundamentalis, cur Spiritus sanc-*

*tus procedat a Patre et a Filio, tanquam ex uno principio, et unica spiratione haud obstante eorumdem distinctione reali?* — Nec obstat, quod Pater, et Filius realiter ab invicem distinguantur. Siquidem Spiritus sanctus non procedit a Patre, ut Pater est, neque a Filio, ut Filius est; sed quatenus uterque spirator est, habetque vim spirativam, sive voluntatem fecundam : hæc enim una, eademque in Patre ac Filio existit, sicque Spiritus sanctus procedit ab utroque, ut ab uno principio, unicaque spiratione. Et hoc bene notarunt sancti Patres in concilio Florentino, sess. 22. ac sess. 24. Nam, cum Pater et Filius sint correlativa, necesse est profiteri Patrem, ut Pater est, esse Filii Patrem; ac Filium, ut Filius est, esse Patris Filium : Spiritum sanctum autem per se neque ad Patrem qua talem, neque ad Filium qua talem referri (et consequenter nec procedere a Patre et Filio, quatenus Pater et Filius sunt, atque ab invicem realiter distinguuntur), quia Spiritus per se non est relativum Patris, et Filii; sed ea ratione, qua spiritus seu spiratus est, refertur ad spirantem, seu spiratorem, qualis spirator, ratione identitatis principii spirandi, unus idemque est Pater, atque Filius : prout in simili, haud obstante distinctione reali personarum divinarum, Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt « unum universorum principium, » ut dicitur in c. *Firmiter*. h. t.

34. *Et cur Spiritus sanctus non superflue procedat a Filio?* — Et per hoc etiam patet ad alteram instantiam. Nam ex eo, quod Spiritus sanctus perfecte procedat a Patre, neutiquam sequitur eum superflue procedere a Filio : sicut ex eo, quod Pater perfecte mundum creaverit, inferre non licet, eum superflue a Filio, et Spiritu sancto, velut uno universorum principio creatum esse. Ratio horum est : quia sanctissima Trinitas non creavit mundum, secundum quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus est, sed secundum quod eadem res, eadem substantia, eademque omnipotentia est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : et consequenter unum, idemque universorum principium. Ita a pari Pater, et Filius, non spirant Spiritum sanctum secundum quod Pater, et Filius sunt, sed secundum quod in eis est una fecunditas voluntatis, et sic in quantum unum principium, et per eandem spirationem. Divus Bonaventura cit. dist. II, art. 1, q. 2, ad 3, et alii.

35. *Objectio Græcorum ex quatuor synodis*



generalibus desumpta proponitur. — Urgebis. In quatuor synodis generalibus, videlicet Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, et Chalcedonensi, solum dicitur, quod Spiritus sanctus procedat a Patre, sive, ut loquitur concilium Constantinopolitanum: «Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum, et conglorificandum.» Nullo igitur modo debuit addi in Symbolo nostro, sub Missa decantari solito, particula illa, *Filioque*. Quinimo illi videntur esse rei anathematis, qui dictam particulam addiderunt; cum in memorato concilio Chalcedonensi anathematizentur omnes illi, «qui fuerint ausi aliam fidem componere, sive porrigere, aut proferre,» ut loquitur dictum concilium.

36. *Et dissolvitur.* — Resp. neg. seq. Si quidem per additionem illius dictionis *Filioque*, neuliquam fuit proposita alia fides; sed dumtaxat illud, quod implicite jam continebatur tum in sacra Scriptura, tum in prioribus conciliis, atque Symbolis, propter novas hæreses insurgentes amplius declarabatur; et per aliqua expresse addita, magis, explicabatur; prout ipsimet *Symbolo Apostolorum*, non solum *Sybotum Nicenum*, sed alia quoque symbola in diversis conciliis addita fuerunt. Idque non ex eo, quod fides catholica minus bene, aut insufficienter, contineretur in *Symbolo Apostolorum*; sed ad clariorem explanationem veritatis, atque exclusionem insurgentium errorum. Quia igitur tempore dictorum quatuor conciliorum generalium nondum exortus fuerat error dicentium, quod Spiritus sanctus non procedat a Filio, non fuit necessarium istud explicite ponere, sed sufficiebat uti verbis Salvatoris, in quibus ista veritas implicite jam continebatur. Postmodum insurgente palam dicto errore, expediens, imo et necesse fuit, auctoritate pontificia, ac præsertim concilii legitime congregatis istam veritatem amplius declarare; et quod prius implicite in sacris Litteris, et prioribus conciliis continebatur, contra insurgentes hæreses expresse definire. Et hoc ipsum Eugenius IV. in *Litteris unionis*, ad finem concilii Florentini appositis, notavit illis verbis: «Diffinimus insuper explicationem verborum illorum, *Filioque*, veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter *Symbolo* fuisse appositam.»

37. *Anathematizantur qui aliud docuerint,*

*quomodo hoc sit intelligendum.* — Porro in concilio Chalcedonensi anathematizantur illi, qui aliud docuerint, vel aliter prædicaverint; hoc est, qui aliam fidem proferendo contrarium aliquid ibidem definitis docuerint, vel prædicaverint. Juxta quod etiam sanctus Apostolus *Gal.* cap. 1, 9. loquitur dicens: *Si quis vobis prædicaverit præter id, quod accepistis* (hoc est, contrarium aliquid), *anathema sit.* Non tamen per hoc prohibetur veritatem Fidei contra insurgentes errores magis declarare; et, quæ prius implicite credebantur, per additionem aliquorum verborum ex instinctu Spiritus sancti ab Ecclesia factam, ad confutationem hæresum grassantium expresse confiteri prout hoc ipsum addendo particulam illam, *Filioque* sacrosancta Romana Ecclesia, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est et magistra, præstare studuit.

38. *Græcorum stasis ante, et post schisma Constantinopolis capta a Turcis in feriis Pentecostalibus.* — Plura de hoc in Actis concilii Florentini, ac præsertim in oratione Bessarionis, *Dogmatica* dicta, quæ refertur ad finem Actorum dicti concilii: quibus adde theologos, et controversistas, fusius de hoc differentes. Notat quoque Bellarminus lib. II. *de Christo*, cap. xxx, quod, quamvis Græcia usque ad tempus schismatis ita floruerit viris doctis, et sanctis, ut omnia concilia generalia apud Græcos celebrata fuerint: post schisma tamen per annos ferme octingentos nullum habuerint concilium, nullumque sanctum miraculis clarum. Et cum iidem Græci, in conciliis convicti, ad unitatem Ecclesiæ, veramque fidem, quater aut sæpius redierint, semperque ad vomitum redierint (prout etiam accidit post concilium Florentinum, anno 1459 celebratum) tandem, ut intelligerent causam exitii sui esse pertinaciam in errore de processione Spiritus sancti, in ipsis feriis Pentecostalibus, Spiritui sancto specialiter sacris, anno Domini 1453. die 19 Maii, in quem incidebat feria II. Pentecostes, a Turcis capta fuerit Constantinopolis, atque imperator eorum occisus, et imperium penitus extinctum.

### § III.

DE FIDE CATHOLICA, VARIISQUE FIDEI ACCEPTIONIBUS, AC DEFINITIONE.

39. *Fidei nomen plures in jure habet acceptiones.* — Quæritur I. Quot modis Fidei no-

men accipiat, et quomodo sumatur in altera parte rubricæ præsentis tituli? Resp. I. *Fidei* vocabulum generatim acceptum varias in jure habet significationes, quas refert Glossa ad rubricam hujus tituli, et alia Glossa in can. *Mover.* 22. q. 1. *Neque.* Quandoque enim fides sumitur pro fidelitate, seu veritate in servandis promissis; ut can. *Noli.* 23. q. 1. ibi: «Fides, quando promittitur, etiam hosti servanda est; quanto magis amico?» Interdum pro ipsamet promissione; ut cap. 1. *de Sponsa duorum*, et § *Venditæ.* Instit. *de Rerum divis.* ibi: «Si is qui vendidit, fidem (hoc est, promissionem) emptoris secutus fuerit.» Item pro æquitate in contractibus considerata: qua ratione actiones quædam dicuntur esse bonæ fidei, aliæ stricti juris; § *Actionum autem*, Instit. *de Actionib.* Aliquando pro conscientia, seu dictamine ipsius; ut *Rom.* cap. xiv, 23, et cap. ult. *de Præscript.* ibi: «Quoniam omne, quod non est ex fide (sive secundum dictamen conscientiæ) peccatum est.» Et in hoc sensu dicitur quis «Possessor bonæ fidei, vel malæ fidei,» juxta quod possidet rem et suam cum dictamine, sive credulitate conscientiæ, quod sit sua, vel quod non sit sua. Sumitur etiam fides, prout est unum ex tribus bonis matrimonii; ut in can. *Omne*, 27. q. 2. Item pro fiducia consequendi rem desideratam, aut promissam; ut *Matth.* cap. xiv, 31. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Et *Jacob.* cap. 1, 6. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Atque etiam pro fidei sacramento, sive pro baptismo; ut in can. *Nihil est aliud. de Consecrat.*, dist. 4.

40. *Fides accepta pro credulitate, alia divina, alia humana.* — Ulterius, et magis ad propositum, fides accipitur pro credulitate, sive assensu intellectus, qui adhibetur alicui aliquid affirmanti, seu dicenti, quod non videtur, propter ejus auctoritatem. Et quidem auctoritas hæc, si sit hominis, dicitur *Fides humana*: si Dei, *Fides divina*: quamquam impræsentiarum de fide humana sermo non sit, sed solum de fide divina, de qua Apostolus *Hebr.* cap. x, 38, inquit: *Justus ex fide vivit.* Et rursus *Hebr.* cap. xi, 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Quæ quidem fides divina est virtus intellectualis, supernaturalis, atque una ex tribus virtutibus theologis: et subdividitur in actualem et habituales: quarum prior importat actualem assensum supernaturalem, quo quidpiam credimus propter auctoritatem Dei illud re-

velantis: posterior autem denotat habitum supernaturalem, et divinitus nobis infusum, quo inclinamur, atque facilitamur ad ejusmodi actus fidei eliciendos propter infallibilem veracitatem Dei revelantis, prout paulo inferius amplius dicitur.

41. *Accipitur subinde pro collectione articulorum fidei divina credendorum.* — Tandem *Fidei* nomen accipitur pro collectione articulorum fidei divina credendorum, sive pro objecto materiali ipsius; juxta illud Symboli sancti Athanasii: *Hæc est fides catholica*: id est, articuli fidei catholice, seu objecta materialia ipsius. In qua Fidei acceptione loquitur etiam sanctus Hieronymus ad Damasum Papam in *Expositione Fidei*, ac refertur in can. *Hæc est fides*, 24. q. 1. dicens: «Hæc est fides, quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus, et tenemus.»

42. *Et sic sumitur in rubrica h. t. Christiani catholici, qui?* *Ibid.* — Resp. II. Altera pars rubricæ præsentis tituli, quæ inscribitur, *Et de fide catholica*, procedit de fide, in postremo sensu accepta, seu prout ipsa sumitur pro collectione articulorum divinitus revelatorum, et ab Ecclesia ad credendum nobis propositorum. Patet hoc ex cap. 1. et seqq. h. t. ubi plenius refertur collectio talium objectorum materialium fidei catholice, id est, universalis: nam græce καθολικόν, latine *universale* significat. Qua ratione fidem catholicam servantes, «christianorum catholicorum nomen jubentur amplecti:» non servantes autem *Hæretici* vocantur, in I. *Cunctos populos. C. De summa Trinitat. et fide cathol.*

43. *Fides catholica, cur sic appellatur?* — Et merito isthæc *Fides* nuncupatur *catholica*, sive universalis: tum quia, per prædicationem evangelicam toto orbe terrarum, longe lateque diffusa existit; juxta illud propheticum, *Psal.* xviii, 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Et illud Salvatoris, *Marc.* xvi, 15. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Item Actor cap. 1, 8. *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ;* tum quia est universalis etiam quoad tempus; nam nunquam deficiet, sed semper durabit, usque ad finem mundi, haud obstantibus quibuscumque persecutionibus, sicut et ipsa sancta Ecclesia catholica: juxta illam infallibilem Christi Domini promissionem, *Matth.* xvi, 18, principi Apostolorum factam: *Tu es*